



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

22. Exponi Nobis &c. Concessio Indulgentiarum pro Fratribus & Monialibus
Ordinis Prædicatorum spiritualibus exercitiis per quadraginta dies
quotannis incumbenibus.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

XXI.

Confirmantur duo Decreta Congregationis S. Ritibus præpositæ, quæ Ecclesiæ S. Georgii præcedentiam jure Matricitatis præ Ecclesiâ S. Petri Civitatis Modicæ adjudicant.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Primum S. Congregationis Decretum sub datum d. 24. Martii. 1636. Ecclesiæ S. Georgii præcedentiam tribuit.

Alterum de die 6. Septembr. 1636. quænam sint ejus modi præeminentiæ declarat.

S. 1. **A**liæ emanarunt à Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium S. Ritibus præpositorum duo Decreta, tenoris, qui sequitur, videlicet, Syracusana Eminentiſſimo Cæsarino referente articulum super Matricitate præsentia, inter Ecclesias S. Georgii, & S. Petri Civitatis Modicæ: Sacra Congregatio respondit; Ecclesiam S. Georgii esse Matricem, eique propterea competere præcedentiam. Die 24. Maji 1636. Ita reperitur in Registris Congregationis Sacrorum Rituum. In quorum fidem hac die 18. Syracusana. Cum Sacra Rituum Congregatio sub die Maji 1636. ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Cæsarini declaraverit, Ecclesiam S. Georgii Civitatis Modicæ Syracusanæ Diocesis esse Collegiatam insignem, & Matricem, eique uti tali deberi præcedentiam supra omnes alias Collegiatas ejusdem Civitatis, institutum fuit pro bono pacis declarari, quænam sint hujusmodi præeminentiæ, & Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Eminentiſſ. & Reverendiſſim. D. Cardinalis Sacchetti, censuit esse infraſcriptas, videlicet. Primò quod in solemnitate Corporis Christi Processio incipere debeat ab ipsa Ecclesiâ Matrice, ad quam convenire debeant Archipresbyter S. Petri cum suo Clero, & omnes alii interesse debentes enumerati in Ceremoniali Episcoporum libro secundo cap. 33. & nullo modo per vias expectare. Secundò quod in eadem festivitate delatio Sanctissimi Corporis Christi spectet ad Præpositum S. Georgii, uti primam dignitatem, & eo absente ad aliam dignitatem ejusdem Matricis, ordine successivo, dummodo ipsa dignitas quæ Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deferre debet, illo die solemniter celebraverit. Tertiò, quod omnes aliæ Processiones publicæ, puta S. Marci, Rogationum, pro pluvia petenda, serenitate impetrandâ, & similes incipere debeant ab ipsa Matrice. Quartò, quod in die Ascensionis Domini, & processionibus S. Marci, nec non Rogationum tam intra, quam extra Civitatem, Præpositus Sancti Georgii, seu alia dignitas, quæ succedit, deferendo stolum officium faciat, benedicens segetes, & similia. Quintò quod in omnibus actibus, in quibus intervenit Clerus S. Georgii, & Clerus S. Petri, Præpositus S. Georgii præcedentiam habeat, & votum supra Archipresbyterum, & Canonicos S. Petri. Sextò quod accedente Clero S. Georgii ad Ecclesiam S. Petri pro exercendâ publica functione, spectet, & pertineat ad Præpositum S. Georgii, & hoc casu præcedentiam debere eidem Clero S. Georgii; in functionibus autem privatis, puta ex devotione, vel simili præcedentiam competere Clero S. Petri in propria Ecclesia. Septimò, quod in Sabbato Sancto pulsatio campanarum spectat, & pertineat privative quoad omnes alios, ad Matricem S. Georgii. Octavò, quod Indulgentiæ, seu Excommunicationes publicandæ nullibi publicari valeant, nisi prius publicatæ fuerint in Ecclesia Matrice S. Georgii. Nonò, quod fideles in die Paschatis recipientes Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiâ Matrice Sancti Georgii, satisfaciant obligationi de recipiendo Communionem in Parochiali. Decimò, quod quando aliquis Parochianus S. Petri eligit sepulturam in Ecclesia S. Georgii, Præpositus S. Georgii officium faciat super cadavere, etiam præsentem Archipresbytero, & Clero S. Petri. Undecimò quod in allocatione

cadaveris, quando intervenit Clerus S. Georgii, & Clerus S. Petri, semper præcedentia debeat Præposito, & Clero S. Georgii, etiam si cadaver deferatur in Ecclesia Sancti Petri, quo casu erit deferenda Crux Sancti Georgii, sub cuius Cruce omnes funus allociantes incedere debeant. Officium verò super cadavere spectet, & pertineat ad Curatum, vel Sacerdotem illius Ecclesiæ, in quâ cadaver tumulari debet. Duodecimò quod Archipresbyter S. Petri nullo modo ministrare valeat Sacramenta suis Parochianis extra propriam Parochiam. Die 6. Septembris 1636. Ita reperitur in Registris Sacre Rituum Congregationis in folio impresso. In quorum fidem hac die 18. Maji 1689, Loco + Sigilli A. Cardinalis Cybo, Bernardinus Casalius Sacre Rituum Congregationis Secretarius.

S. 2. Cum autem, sicut pro parte Dilectorum Filiorum Capituli, & Canonicorum secularis, & Collegiatæ S. Georgii Oppidi Modicæ Civitatis nuncupat, Syracusanæ Diocesis Nobis nuper expositum fuit, ipsi Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

S. 3. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

S. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

S. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Junii 1689. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

J. F. ALBANUS.

Concessio Indulgentiarum pro Fratribus & Monialibus Ordinis Prædicatorum, spiritualibus exercitiis per quadraginta dies quotannis incumbentibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

S. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Antonius Cloche Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod in multis Conventibus, & Monasteriis dicti Ordinis consuetum est, ut tam Fratres, quàm Moniales eorundem Conventuum, & Monasteriorum quotannis in aliquod cubiculum sibi à Superioribus assignatum secedant, ubi per quadragin-

Desideratur eorum confirmatio.

Et à Sanctitate Sua fit cum ab solutione ad effectum.

Decretum roborans & irritans

Derogatio contrariis.

Transumptum h- des.

D. 4. Junii 1689. P. A. decimotertio.

XXI.

Exercitia quibus in memoriâ jejunii Salvatoris vacant.

ta dies diversis exercitiis spiritualibus alternativè, nempe orationibus, mortificationibus corporis, flagellationibus, seu disciplinis, & aliis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus Noster Jesus Christus in deserto fuit, magnâ cum devotione & silentio vacant.

§. 2. Nos igitur devotionem hujusmodi celestibus Ecclesiæ thesauris, dispositioni Nostræ à Domino commissis confovere volentes, ac supplicationibus ejusdem Antonii Magistri Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis, tam Fratribus, quàm Monialibus dicti Ordinis, qui per dictos quadraginta dies piis hujusmodi exercitiis semel quotannis se dederint, quâ vice id egerint, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quas fel. rec. Paulus PP. V. Prædecessor Noster Fratribus, & Monialibus prædictis, & aliorum Ordinum, qui per spatium decem dierum spiritualibus exercitiis incumbunt, concessit, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariis.

§. 3. Non obstant. Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ, de non concedendis Indulgentiis, ad instar, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque, Præsentibus ad septennium tantum valituris.

Pro præsentibus ad septennium duraturis impetrandis nihil offerendū.

§. 4. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium, aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblaturum recipiatur, præsentibus nullæ sint, quòdque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1689. Pontificatus Nostri decimotertio.

Et transumptis fides habenda.
D. 4. Junii 1689. P. A. decimotertio.

J. F. ALBANUS.

Decretum Generale.

Cùm Sabbato sancto proximè futuro occurrat festum Annunciationis B. M. V. dubitatum fuit, an debeant celebrari Missæ privaræ, ad effectum, ut Christi fideles commodè satisfacere possint præcepto audiendi Missam; Et Sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Colloredi, re maturè perpensâ, censuit prædictum festum Annunciationis, una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus in Ecclesiâ universali transferri debere ad feriâ secundam post Dominicam in Albis, protrahitis omnibus aliis festis, quæ non sint altioris ritus, ad aliam diem juxta rubricas Breviarii Romani. Celebrationem quoque Missarum dictâ die Sabbati sancti omnino prohibendam in quibuscumque Ecclesiis, & Oratoriis privatis, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, & unicam Missam Conventualem, una cum Officio ejusdem Sabbati sancti celebrandam fore præcepit; Si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Hac die 11. Februarii 1690.

Et factò de prædictis per me Secretarium verbo cum Sanctissimo. Sanctitas Sua benignè annuit, sensum Sacræ Congregationis approbavit: ac præsens Decretum edi, & imprimi mandavit. Hac die 12. Februarii 1690.

A. CARDINAL, CYBO.

Locus † Sigilli.

XXIII.

Confirmatio & ampliatio Decretorum Congregationis reformationis Tribunalium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exorditur à Romani Pontificis

Decet Romanum Pontificem, ut sicut ex impositæ sibi divinitus Apostolicæ servitutis Of-

ficio totius Domini gregis utilitatibus indefinenter incumbit, ita Almæ Urbis, ac in ea litigantium, nec non suorum, & Apostolicæ Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodis circa ea præsertim, quæ meliorem, ac celeriore justitiæ administrationem, refectis superfluis circuitibus, sublati subterfugis, reformatisque litigantium expensis concernunt, sollicitis studiis intendat, ut si quæ per suos Prædecessores pro felici Reipublicæ statu providè sancita lapsu temporis in desuetudinem abiisse, visâ, seu deformata, vel depravata fuerint, congruæ declarationis, seu reformationis ope, pristino nitore, ac vigori restituantur; Si quæ autem de novo emerferint, quæ ut temporum fert conditio, novo auxilio indigere noscantur, opportuna sanctionis, seu provisionis remedio reparentur, & muniantur.

§. 1. Hinc est, quod Nos ab ipso suscepti, meritis licet imparibus, Universalis Ecclesiæ Regiminis primordio felices recordationis Pauli Papæ Quinti Prædecessoris Nostri super Reformatione Tribunalium Urbis præfata, ejusque Officialium editam Constitutionem inconcusse servari, omnes, qui in contrarium irrepsissent abusus aboleri, opportunaque declarationes, reformationes, & provisiones, quæ ad rectam, magis expeditam, minisque dispendiosam justitiæ administrationem conferrent, exple cupientes, Congregationem Reformationis Tribunalium dictæ Urbis singulis mensibus haberi præcepimus; Factaque Nobis postmodum die 3. Junii 1679. duplici relatione, Decreta ab eadem Congregatione eousque emanata approbavimus, nonnullaque ex illis ad universum statum Nostrum Ecclesiasticum Italiæ extendimus, & ampliavimus: Illaque omnia publicari, ac sub penis in præfata memorati Pauli Prædecessoris Constitutione contentis, nec non aliis, quæ in iisdem Decretis impositæ fuerant, cæterisque Nostro, vel Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio injungendis, in Urbe, & statu præfatis respectivè exactè observari mādavimus.

§. 2. Subindè autem supradicta Congregatio, cum de eadem Reformatione seriò agere non destiterit, ac quædam ex memoratis Decretis, etque signanter super subhaftationibus edita, rationabilibus ex causis, ac experientiâ ita suadente delenda, seu revocanda: alia similiter declaranda, seu reformanda: nonnulla demùm etiam addenda censuerit, post novum multiplex, & exactum examen Decreta hujusmodi in sequentem formam redegit, videlicet.

De Capitolio, ejusque Officialibus.

Pluries examinatâ directione fori, seu Tribunalis Capitolini, & quomodo occutrendum sit aliquibus inconvenientibus, quæ circa mentem, & sensum statuentium, & calumniatorum malitiâ irrepsisse videntur, deventum est ad sequentes resolutiones, & provisiones.

Primò, ut in causis in quibus ex dispositione Statutorum omnino tollitur, ac denegatur appellatio, sive quod illa respectivè conceditur ad solum effectum devolutivum, non autem suspensivum, vel non nisi factò deposito, sive sub alia forma per eadem Statuta præscriptâ, & demandatâ, Senator, quando non judicavit tanquam Judex primæ instantiæ, tanquam Caput Tribunalis, & cui per Statutum commissum, ac injunctum est, ut observet, atque ab illis observari faciat Statuta, & jura communia, gerat omnes illas partes, quas in Tribunali Auditoris Camere, aliisque Tribunalibus appellationum, & ulterioris instantiæ post primam gerit D. Cardinalis Signaturæ Justitiæ Præfectus in recognoscendo, & declarando: An per Judicem appellationis admitti, vel respectivè rejici debuerit appellatio, sive an iste moderari, vel respectivè reintegrare debeat suam inhibitionem, aliaque similia peragere eo modo, quo per dictum Cardinalem Præfectum Signaturæ Justitiæ practicaur. Ubi verò partes, vel earum altera judicio Senatoris non acquiescant, tunc Assentamentum gerat, ac impleat illas partes su-

circa Reformationem Tribunalium Urbis Romæ & S. Sedis quoad temporalia subditorum officio.

Congregationem eam in finem à se institutâ ejusque Decreta confirmata & ampliata commemorat.

Quæ certis ex causis insequentem novâ formam redacta.

De partibus quas Senator & Assentamentum circa appellationes gerere debeat.